Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



hac narrat: Scripsit aliquando Cyrillus (Hierosolymitanus) ad Julium Romanum Pontificem in hac verba: Magnus est labor ac hominum paucitas in praelatis solennitatibus, eoquod eadem die celebrentur: lectionesque ac officia duarum vix media parte absolvuntur, quod negueamus et Natale Domini celebrare et Baptisma. - - Jubeat ergo tua Sanctitas perquiri scripta omnia Judaeorum, quae tibus Caesar abs Hierosalem praedatus, Romam adduxit: forte inveneris certam diem nativitatis Christi ac Dei nostri. Auepta Julius epistola, sedulo ea de re quaesivit. Congregans itaque Judaeorum scripta omnia, loco spoliorum ablata ac Romam ducta, invenit Josephi Chronographi scripturam quandam abeo exaratam, ut nimirum in mense Septimo, in solennitate Tabernaculorum ac die Expiationis, apparuerit Dei Angelus, Sacerdosque multos remansisse, usque dum peperit Elisabeth ejus uxor in senectute. - - In hunc modum Julius, Romanus Patriarcha, menses Romanorum atque Hebraeorum composuit: a quo tempore coepit Romana Ecclesia laetis gaudiis celebrare natalem Salvatoris die XXV Decembris, tradiditque celebrandam universis Ecclesiis. Haec Joannes Nicanus: qui etiam facta computatione concludit, Joannem Baptistam die XXIII Septembris fuisse conceptum. Advertendum autem est, jejunium expiationis incidens in diem decimum mensis Septimi, fuisse praeparationem et quasi partem futurae solennitatis tabernaculorum incidentis in diem decimum quintum ejusdem mensis: adeoque Angelum Zachariae apparentem in die Expiationis, recte dici posse, apparuisse in solennitate Tabernaculorum.